

## CAPVT XIV.

*De effectibus dominii, seu de iuribus et obligationibus, quae ex dominio nascuntur, et accessione.*

CCCCXXXII. Habet dominus ius disponendi de ipsius rei substantia et consecrariis. Igitur generalis dominii effectus est, vt eidem vi libertatis naturalis etiam ius competat ad omnes actus in re sua possibiles; et vt quilibet homo obligetur, ne dominum in horum iurium exercitio turbet, ac laesionem factam refarciat.

CCCCXXXIII. Hinc vero specialia domini iura deriuantur, I. vt rem suam possit possidere, II. omne ex illa percipere emolumentum, vel etiam III. sese possessione aut dominio, siue toto, siue pro parte abdicare; quare quisque dicitur rei suae moderator et arbiter.

CCCCXXXIV. Ex facultate possessionis ius consequitur quoscumque alios a re sua excludendi, et cunctis omni actu circa eandem interdicendi; potest porro dominus illam tueri, amissamque ab omni detentore repetere, et probato dominio vindicare.

CCCCXXXV. Vi iuris, quod habet ad omne emolumentum, licet domino re sua non modo *uti*, hoc est, id, quod poscit necessitas, percipere, sed et *frui* nimirum, quidquid ex illa prouenit, ad utilitatem et iucunditatem suam conuertere, tum *meliorare*, immo in aliam plane formam transferre, *specificare*.

CCCCXXXVI. Ex eo denique, quod domino sit ius disponendi pro arbitrio, sequitur, vt is possit rei dominum in alios transferre, *dare*, vel totum vel partem tantum; siue ea pars fuerit ius in solam substantiam, *proprietas, dominium directum*, siue ius in omnia consecraria, *dominium utile*; siue ius, vi cuius domi-

dominus aliquid in re sua pati vel non facere teneatur, *seruitus* veluti *usus*, aut *ususfructus*; quarum altera ius est *re aliena utenti*, altera *ius etiam fruendi salua substantia*.

CCCCXXXVII. Quid! quod vi iustitiae stricte talis in foro externo etiam rem suam destruere, corrumpere, perdere et ea abuti cuique licet, modo id nemini noceat, quamquam res dilapidare et iactare officiiis tam erga alios imperfectis, quam erga se ipsum repugnet. v. L. 2. D. *si a par. quis manum*.

CCCCXXXVIII. Quum nemo in iure suo tam connato, quam hypothetico sit laedendus, et laesio facta refarcienda, patet, *Furtum*, quod est fraudulenta rei alienae ablatio inuito domino animo sibi habendi, et *Rapinam*, quae est furtum violentum, *Inuasionem*, quae est factum, quo quis possessione rei suae immobilis delicitur, omnem denique *defraudationem* et damnum dolo vel culpa illatum lege naturali prohiberi; atque auctorem mali ex huiusmodi factis orti ad restitutionem vel satisfactionem obligari.

CCCCXXXIX. Rem autem alienam casu ad nos peruenientem esse restituendam, aut a tertio nobis *suffragantibus* occultatam domino manifestandam, inde colligitur, quod, qui secus ageret, is causa esset, ut dominus rei suae iacturam patiat; quod, quum sit laedere, in aperto est, quemlibet ad rei alienae restitutionem *faciendam*, vel *silentio non impediendam* obligari, quia reticentia huiusmodi inuolueret laedendi animum.

CCCCXL. Quum damnum casu illatum nemini possit imputari, sed casus domino noceat: consequens est, ut si animal absque domini culpa rem alterius destruat, quoniam hoc damnum fortuitum est, id etiam rei dominus pati teneatur; nec dominus animalis ad damnum refarciendum, vel animal, quod nocuit, extradendum cogi possit, sed in pari causa melior sit conditio possessoris.

CCCCXLI. Quoniam in collisione officia erga se ipsum necessitatis officii erga alios commoditatis praeferenda sunt, nec ius conatum ad res necessarias introductione dominorum cuiquam adimi potuit, quippe quod ex obligatione immutabili se conservandi ortum est; sequitur, ut, si quis cum extrema necessitate lactetur, nec ulla alia pateat evadendi via, domino etiam invito eadem necessitate non laboranti res auferre, deteriore, perdere iure possit.

CCCCXLII. Indepatet, licere res alienas in mare proicere ad levandam navim, orto incendio aedificium vicini dissipare, arma ad defensionem alteri eripere, et quae eius sunt generis; nisi tamen dominus alia via mala nostra auertere idoneus paratusque sit.

CCCCXLIII. Quamprimum tamen rei ablatae restitutio fieri poterit, ea facienda est. Ius enim ad illam solum ex necessitate ortum est; ergo non nisi ex necessitate accipit mensuram. Quare si sufficiat usus, non datur ius in substantiam, et si substantia pro tempore opus sit; ea vel eius aequivalens non poterit perpetuo, et necessitate cessante retineri; alias haec ipsa viterior retentio dominum laesione adficeret.

CCCCXLIV. Incrementum, quod acquirit res in domino alicuius existens, vocatur *Accessio*, et si fiat naturae beneficio, *naturalis*, si facto hominis, *industrialis*, si utroque modo sumus, *mixta*. Sunt vero accessionis naturalis hae species, I. *foetura*, hoc est fructus animalium, ut agni ovium; II. *alluvio*, quum agro particulae terrae sensim et pedetentim adiacentur; III. *vis fluminis*, seu incrementum fluvii et semel adiectum; IV. *insula in fluvio nata*; V. *alvei mutatio*.

CCCCXLV. Duae autem sunt accessionis naturalis regulae: una, ut incrementum rei nostrae, quod ex eadem provenit, nostrum sit, quare rivula, et alveus derivatus eius est, cuius fluvius, et quod nascitur ex animalibus, ad dominum ventris statim pertinet. Altera, ut si incrementum veniat aliunde, et *certae sit originis*;